LUDOVICI ROSSII

HOLSATI

PROFESSORIS HALENSIS

AD VIRUM CLARISSIMUM

AUGUSTUM BOECKHIUM

PROFESSOREM BEROLINENSEM

EPISTOLA EPIGRAPHICA.

Insunt lapis Fourmonti Atticus restitutus titulusque Thespiensis ineditus.



ADJECTA EST TABULA LITHOGRAPHICA.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM

1850.

Dum Tu, clarissime Boeckhi, totque alii philologicarum disciplinarum coryphaci lactum conventum agitis Berolini, ego valetudine detentus, quo minus ipse ad vos venirem, certe per litteras Te salutare volui. Ac diu est, ex quo in ea ipsa disciplina in qua Tu non solum habitas sed omnes Te uno ore magistrum ac regem agnoscunt, de germana Fourmontianorum titulorum fide a Te dissensum profiteri ausus sum; neque tamen per valetudinem licuit ut rem satis gravem ita, ut animo conceperam, publice pertractarem. Sed dies urget, et in hac omnium humanarum rerum incertitudine „quis scit an adjiciant hodiernae crastina summae tempora Di superi?" Quare quaestionem delibare quam prorsus intactam relinquere satius duxi.

Inter eas Fourmonti inscriptiones quas Tu ipse genuinas habes, una est Attica quam collocasti in immortali Tuo thesauro inter antiquissimas (Nr. 28) e Fourmonti schedis a Te edita, qui Merendae (Myrrhendae, Myrrhinunte[1])) in ecclesia viderat: cujus antigraphum satis lacerum in tabula lithographica primo loco (1. a.) fideliter repetendum curavi. De quo quae annotasti, ne Corpus Inscriptionum rursus Tibi evolvendum sit, integra huc transscribam.

---

1) Ross, Demen von Attika. S. 84.

„Fragmentum antiquis litteris conceptum, sed hinc inde corruptum; pro Θ fuit aut ⊙ aut ⊗ vel ⊕. *Ου* plene scriptum, sed tantum in *τοῦτο*, in quo hoc vel ante Euclidem Athenis usitatum. Non dubito sepulcralem esse inscriptionem, quo ducit *σῆμα* initio positum; sitne tamen vere antiqua, an ut praecedentes, recentiore aetate priscam ad formam composita, dubito. Ceterum versus erant; nec tamen multa extricari possunt. Primâ lineâ videtur *Φρασικλῆς* latere; in quo ⱶ est mutilum; sed ipsa, quae sepulta est, virgo videtur; quod cum priore linea non bene convenit. Nec scio quomodo huic medear malo, nisi ut dicam permulta in dextera parte perisse: ita ut Phrasicles sepulcrum fecisse dictus fuerit, puella autem dicatur id nacta esse. Sic lin. 1 legerim: *Σῆμα Φρασικλῆς ἀσ......* et lin. 2: *κόρη κεκόμισμαι.* Lin. 3 fuit *ἀρετάν*, Dorice: licet lin. 1 sit *σῆμα*, non *σᾶμα*: in his enim formis confundi dialectus solet. Lin. 4 est *παρὰ θεῶν τοῦτο* vel *τούτον* aut simile. *Θεῶν* est monosyllabum, ut solet."

Haec Tu; neque sane e Fourmonti apographo dijudicari poterat, essetne titulus integer, an, quemadmodum Tu opinatus es, in dextra parte multa deessent. Post Fourmontum per centum amplius annos nemo lapidem rursus inspexisse videtur: donec Liber Baro de Prokesch, qui nunc apud nos Austriae negotia sustinet, et egomet ipse, mense Junio a. 1839 Myrrhinuntem delati, nova antigrapha confecimus. Marmor quadratum muro interiori sacelli semiruti insertum est, sed inversum, ut commode legi nequeat: unde factum est ut Fourmontus tribus locis literam ϟ perperam inversam (ʔ) exhiberet. Nam quod superficies lapidis multis in locis quasi dedita opera excisa esse videtur, adeo ut litterae nonnullae vel integrae vel ex parte deletae sint: id casu ab operis Christianis, quum

marmor praegrave muro insererent, factum esse autumor, neque nunc Fourmonti malignitati tribui velim[2]), propterea quod ipsius antigraphum his ipsis in locis vel incertum vel mancum est. Ceterum lapidis faciem anticam, in qua hic titulus exaratus est, ab omni parte esse integram vidimus. Animadvertimus etiam in margine sinistro marmoris (quantum ejus e muro prominet) vestigia aliquot litterarum: quae ut mutila non enotavimus.

Prokeschianum exemplum ab Alexandro Rhizo Rhangabe typis evulgatum est (in tab. nostra 1. b.), sed vereor ne parum accurate: quamobrem ea quae Rhangabes, vir felici ingenio sed parum accurata eruditione praeditus, de hoc lapide annotavit (quae ipse postmodo p. 380. improbavit) refellere haud operae pretium est. Aliqnot annis post Rhangabes ipse titulum denuo exscripsit et in eodem opere (tab. VII. n. 28.) iterum edidit (in nostra tab. 1. c.); sed neque versus esse perspexit nec sententiam assecutus est; immo lectionem venusti epigrammatis proposuit et sensu cassam et omni vitiorum genere scatentem: quam ne refutare cogar, integram huc ponam:

Σῆμα Φρασικλείας
κόρη[ς] κεκλέ[ο]μαι,
ἅ[τ]ε μάντι[δ]ά μ[ε
παρὰ θεῶν τοῦτο
λάχ[εν ὄ]νυμα.

---

2) A. Rhiz. Rhangabes, Antiq. Helléniques (Athen. 1842—1845. 4.) p. 380. 381.: „Les lettres sont très indistinctes et effacées à dessein, probablement par Fourmont, qui aurait dû au moins mieux déchiffrer avant de se permettre cet acte d'exécrable vandalisme." Quamquam aliis in locis nos quoque Fourmontum hoc crimine reum agimus (vid. meae Inscr. Gr. Ined. I. 47. pag. 14).

„Je me vante d'être le tombeau de la vierge Phrasiclée, ce nom m'étant dévolu des Dieux à cause de ma qualité de devineresse."

„*Κεκλέομαι* est le présent de l'indicatif passif du verbe *κεκλέω* (?) dont on ne rencontre que le parfait *κέκλετο* dans le langage poétique. Dans les premières deux lignes c'est la tombe qui porte la parole. C'est au contraire la défunte qui parle dans les trois dernières. Mais si le mot qui commence l. 2 est *κόρη* (au nominatif) et non pas *κόρης*, la construction devient encore plus embarrassée. La première ligne est alors indépendante du reste de l'inscription. L'auteur de l'épitaphe avait voulu dire *κόρη εἰμὶ καὶ Φρασίκλεια κεκλέομαι*. Mais pour éviter la répétition du nom propre, il a dit: *κόρη κεκλέομαι*. L'épitaphe nous apprend que Phrasiclée avait reçu des Dieux ce nom qui signifie *illustre par la parole*, parcequ'elle était une devineresse." Addit de vestigiis litterarum quae in margine sinistro spectantur: „Sur le côté gauche de la pierre et tout près du bord supérieur on lit ce que je présume être ... *ἐ*]*στήθη* (?). *Ἀρι*[*στοκλῆς ἐποίη*]*σε*. Nous aurions donc encore ici un travail de ce même Aristoclès etc." Verum spatium vacuum ne dimidiam quidem partem hujus supplementi capit. Ut interpretationi suae cumulum addat, in fine subjicit: „L'inscription n'est point métrique, quoiqu'on y voie une certaine prétention (!) d'arrangement poétique." Haec ille satis mira pro eruditionis suae modulo, sed admirabili fiducia de lapide a semet ipso inspecto secundis curis elucubravit: qui si ingenio minus fretus legumque sermonis Graeci reverentior vestigiis, quae Tu e mutilo Fourmonti antigrapho praeiveras, insistere voluisset, ad verum certe accedere poterat.

Equidem quod duodecim abhinc annis e lapide ex-

scripseram exemplum, in tabula quarto loco posui (1. d.). Ex hoc cum reliquis tribus comparato vera lectio facile concinnari et epigramma nimium diu oblivione et tenebris oppressum restitui posse mihi videtur hunc in modum:

ϟΕΜΑΦΡΑϟΙΚLΕΙΑϟ
ΚΟΡΕΚΕΚΟ[ϟ]Μ[Ε]ΜΑΙ
ΑΡΕΙΑΝΤΙΛΑΜ[Ο
ΠΑΡΑΘΕΟΝΤΟΥΤΟ
LΑΧ[Οϟ]ΟΝΟΜΑ

In his non amplius quinque elementis intra uncos apposita vides: e quibus unum [ϟ in κεκόσμημαι] exsculpsi e littera Κ quae in exemplis Fourmontiano meoque eo loco posita est; pro qua Prokeschius, si fides est editori Graeco, circulum mutilum in formam litterae ♀ deprehendisse sibi visus est: unde efficitur illud elementum in lapide aliquanto oblitteratum esse. Nam apud ipsum Rhangaben haec linea secunda, id quod comparatio reliquorum antigraphorum evincit, pessime descripta est: qui non solum post ΚΟΡΕ spatium vacuum sibi finxit et tribus punctis ⁝ explevit, quod nemo nostrum vidit, sed etiam verbi sequentis integram syllabam suppressit, qua metrum carere non potest. Quae autem praeter illud ϟ addidi, ea non de conjectura neque pro arbitrio posita, sed ex necessitate desumta sunt. Totum igitur epigramma sic legitur:

Σῆμα Φρασικλείας· κούρη κεκό[σ]μ[η]μαι Ἀρῆι,
Ἀντὶ γάμ[ου] παρὰ θεῶν τοῦτο λαχ[οῦσ᾽]ὄνομα.

Priora duo vocabula tanquam index tituli extra constructionem posita sunt (idque unum recte vidit Rhangabes): „*Sepulcrum* [hoc est] *Phrasicleae.*" Neque dissimile est initium epigrammatis quod Leontio Scholastico adscribitur in Anth. Gr. 7, 575:

Σῆμα Ῥόδης· Τυρίη δὲ γυνὴ πέλεν cett.

vel antiquissimi epigrammatis Corcyraei (in Gerhardi Ephem. Archaeol. 1846. Nr. 48. p. 380.):

Σᾶμα τόδ' Ἀρνιάδα· κρατερὸς δὲ τόνδ' ὤλεσεν Ἄρης cett.

Ut plurimum quidem sepulcrum ipsum loquitur, velut in epigr. Attico apud Wordsworthium, Athens and Attica p. 215 sq.:

Λοιμῷ θανούσης εἰμὶ σῆμα Μυῤῥίνης,

vel in disticho Simonidis in Anthol. Gr. 7, 509:

Σῆμα Θεόγνιδός εἰμι Σινωπέος ᾧ μ' ἐπέθηκεν
Γλαῦκος ἑταιρείης ἀντὶ πολυχρονίου.

Neque tamen eo offendor quod in hoc nostro disticho post verba ista quae indicis loco praescripta sunt, defuncta ipsa loqui incipit: „*Virgo ornata* (*dicata*, *dedicata*) *sum Marti, pro nuptiis hanc a Diis nacta appellationem.*" Quid dicat Phrasiclea, luce clarius est: consecratam se esse Marti tanquam sacerdotem virginalem, ut nubere non liceret, eumque sacerdotii honorificum titulum (quod scilicet *κόρη Ἄρεως* vocabatur) matrimonii loco sibi a Diis tributum. Verbum *κεκόσμημαι* solum huc quadrat; nomen *Ἄρηϊ* in meo apographo unâ tantum lineolâ caret; reliqua fere integra sunt. Neque ulla unquam alia, puto, sententia exsculpi poterit ex hoc titulo, qualis a me restitutus est, et in quo metrum legesque prosodiae vetent quominus unam litterulam vel addat aliquis vel detrahat.

Ipse vides, Vir Illustrissime, quorsum haec pertineant. Omnis ista argumentatio qua Tu olim Fourmonti fidem labefactare conatus es, quod *matres virginesque Apollinis* (*ματέρας καὶ κώρας τοῦ Ἀπόλλωνος*) quae in binis lapidibus Amyclaeis habentur, rem prorsus inauditam esse pronuntiasti, uno hoc disticho concutitur. Nihil tunc Te moverunt testimonia antiquitatis quae tamen nullo modo spernenda sunt; nam diis deabusve virgines innuptas

dicari et dari sacerdotes fuisse solitas, vel sine tam diserto inscriptionum testimonio, affatim docere nos videntur. Inprimis hoc sequitur e verbis Pausaniae de Neptuno[3]) et Hercule[4]). Mitto nunc quae Athenis erant Bacchi sacerdotes *γεραιράς*[5]) et Jovis Dodonaei *πελειάδας*[6]) cum Pythia Delphica. Sed videmus etiam alibi mulieres Apollinis cultui dedicatas, in Branchidis[7]) et apud Patarenses[8]); et si fides Dioni Chrysostomo, vel Cassandra pari modo Apollini consecrata fuit[9]). Exempla a Te ipso allata l. l. p. 70., quoniam levioris sunt momenti, nunc nihil moror; sed addam ex titulis Latinis tres mulieres sacerdotes, non solum unam Minervae, quae vixit minus decem annis[10]), sed etiam aliam dei Bergimi[11]) tertiamque

3) Paus. 2, 33, 3: *Ἔστι δ᾽οὖν Ποσειδῶνος ἱερὸν ἐνταῦθα ἅγιον, ἱερᾶται δ᾽αὐτοῦ παρθένος, ἔστ᾽ ἂν ἐς ὥραν προέλθῃ γάμον.*

4) Id. 9, 27, 5: *Καὶ Ἡρακλέους Θεσπιεῦσίν ἐστιν ἱερόν· ἱερᾶται δ αὐτοῦ παρθένος, ἔστ᾽ ἂν ἐπιλάβῃ τὸ χρεὼν αὐτήν. αἴτιον δὲ τούτου κ. τ. λ. τὸν δὲ νομίζοντα δικάσαι, μένειν παρθένον πάντα αὐτὴν τὸν βίον ἱερωμένην αὐτῷ.*

5) Schol. Pind. Pyth. 4, 104. Bekk. Anecd. I. 232.

6) Herodot. 2, 54 sqq. Strab. 7, p. 506. Paus. 10, 12, 5.

7) Jambl. de myster. p. 72, 44. — Etiam Argis apud Apollinem Diradiotem virgo fuit prophetis, Paus. 2, 24, 1: *γυνὴ μὲν προφητεύουσά ἐστιν, ἀνδρὸς εὐνῆς εἰργομένη.*

8) Herodot. 1, 182. Secundum Herodotum, si quid video, hae mulieres olim apud Aegyptios et Babylonios tanquam amasiae (*παλλακίδες*) dabantur Jovi adeoque Pataris Apollini: l. l. 181, 182; cf. Strab. 17, p. 816.

9) De Cassandra Dio Chrys. or. 11, p. 220 Emper.: *Κασσάνδραν δὲ παναγῆ κόρην, ἱέρειαν τοῦ Ἀπόλλωνος*, et p. 221: *τὸν δὲ βασιλέα τῶν Ἑλλήνων τὴν ἱερὰν κόρην ἀπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἣν οὐδεὶς ἐτόλμησε γῆμαι διὰ τὸν θεόν, αὐτὸν ἀγαγέσθαι γυναῖκα.*

10) Orell. Inscr. Lat. 2186.

11) Id. 2194.

Divi Titi Flavii Augusti[12]). Refutatum igitur mihi esse videtur, quod negasti fieri posse, ut mulieres Apollinis cultui consecrarentur; quod autem addis, si vel maxime dicatae fuissent, appellationes istas matrum virginumque nullo pacto ferri posse, propterea quod aliunde prorsus ignotae essent, id Te ipsum credo nunc non amplius contendere. Nam, quaeso, quot quantasque res lapides inscripti nos docent, quas aliunde haud novimus? Quemadmodum autem aliis in locis, ita etiam Lacedaemone recentiore certe aetate muliebres Apollinis (sicut plurimorum aliorum deorum) sacerdotes fuisse demonstrant tituli a Te ipso editi, de Apolline maxime n. 1446: *Τὴν θοιναρμόστριαν — καὶ ἀγόραχον — Κλαυδίαν Δαμοσθένειαν, τέκνων δίκαιον ἔχουσαν, ἱερέαν κατὰ γένος Καρνείου Οἰκέτα καὶ Καρνείου Δρομαέος καὶ Ποσειδῶνος Δωματείτα καὶ Ἡρακλέους Γενάρχα καὶ Κόρας καὶ Τεμενίου τῶν ἐν τῷ Ἕλει, καὶ τῶν συγκαθειδρυμένων αὐτοῖς θεῶν, καὶ ἄλλων θεῶν, μητέρα εὐσεβείας καὶ δήμου καὶ βουλῆς, ἑστείαν πόλεως κ. τ. λ.* Nihil igitur obstat quo minus jam antiquitus fuerint. Sed restant appellationes istae matrum virginumque quae Tibi offensioni fuerunt. Spernebas nimirum tunc ea exempla similium appellationum quae in titulis Latinis habentur (velut *pater sacrorum*, Orell. Inscr. Lat. 1919. 1920. 2354; *mater sacrorum*, ib. 1491. 2313; *filius sacrorum*, ib. 49 et 2349): quae tamen satis probant, in religionibus et rebus sacris antiquorum aliquem ejusmodi appellationibus a consanguinitatis similitudine ductis fuisse locum. Jam autem, ne plura persequar, videmus etiam in Attica antiquissimis temporibus virgines innuptas Marti[13])

12) Id. 2195.

13) Martis cultum in Attica non admodum rarum fuisse monui in Gerhardi Ephem. Arch. 1844. p. 246.

dicari solitas, quae deo perpetuam servarent virginitatem [14]), easque κόρας (κοίρας) Ἄρεως vocitatas: quamobrem nihil obstat quo minus etiam Apollini, mitiori deo Musarumque duci, tum matronas tum virgines consecrari easque matres et filias appellari potuisse praestantissimorum lapidum Amyclaeorum incorrupto testimonio edoceamur. Si qua autem alia in iis lapidibus Tibi dubitationem moverunt, de his alio tempore disputabo.

Transeo jam ad alium lapidem Boeoticum eumque, quod sciam, hucusque ineditum, sed plus uno nomine satis insignem: qui si cum nonnullis aliis jam ante hos triginta vel quadraginta annos innotuisset, impedimento fortasse futurus erat quominus quibusdam argumentis, quibus tunc contra Fourmonti fidem utebaris, multum confideres. Namque ut universae disciplinae archaeologicae, ita maxime palaeographiae et epigraphicae Graecae, cujus Tu olim fundamenta posuisti, succrescit quotannis laetissimus proventus novae materiae. Ita factum est ut non solum numerus inscriptionum Graecarum, post institutam Thesauri Tui editionem, tantum non duplicatus sit, sed ut multa etiam in iis quae tunc obscuriora poterant vel insolentiora existimari, hodie frequentiore usu jam satis trita videantur esse. In quo genere, si exempla desideres, sat multas pono litterarum formas, quae postmodo demum innotuerunt, imprimisque orthographiae secundum regiones et epochas nimium quantum mutabilis et inconstantis varias rationes, nec non dialectorum tantum non prorsus incognitarum, velut Thessalicae, Lesbiacae, Rhodiae, Corcyraeae

14) De virginitate a sacerdotibus feminis adeoque aliis feminini sexus sacris ministris servanda cf. quae adnotavit C. F. Hermann, in Sacris Graecc. Antiquitt. §. 34, 9. 36, 5.

inexspectata specimina. Cujus generis etiam nonnulla insunt in inscriptione metrica quam Tibi nunc propono.

Horae fere spatio occidentem versus a Thespiis, ad radices Heliconis montis, in ipsis faucibus vallis Musarum cultu quondam sacrae, situs hodie est viculus cui nomen est **P a l a e o p a n a g i a** (*ἡ Παλαιοπαναγιά*). Inter vicum et vallem Musarum, prope fontem publicum, exstabat anno 1833 sacellum semirutum [15]) (B. Virginis, ni fallor), cujus muro postico insertum reperi lapidem quadratum (basin vel stelam) modicae magnitudinis, cui inscriptum erat quod sequitur epigramma (in tab. lith. n. 2.):

Μνᾶμ' ἐπ' Ὀλ[ᾱ]ε[ί]δᾳ μ' ὁ πατὴρ [ἐ]πέθηκε θανό[ν]τι·
Ὡς [φ]ίλος! ὡς πένθος θῆκεν ἀποφθίμενος.

Litteras vides esse tales quae remotissimam monstrent antiquitatem, easdem partim forma insolentiori. Primum Ρ est tantum non quadratum, propiusque accedit ad forman literae Ρ qualis obtinet in alphabeto Osco quam ad omnes Graeci elementi formas quotquot exhibet Franzius (El. Ep. Gr. p. 40.). Invenitur tamen eadem vel simillima forma etiam in aliis lapidibus Boeoticis, velut in cippo Orchomenio (ap. Leakium, North. Gr. tab. VIII. n. 36.; ap. Rhiz. Rhangaben l. l. n. 331. p. 386.; cf Keilium nostrum, Syll. Inscr. Boeott. p. 177. ad n. C. J. 1639); eademque forma exstat et in numismatis Magnae Graeciae (Mionnet, tab. 31. 32.). Huic literae prorsus similes sunt anguli elementi Γ, cujus formam item apud Franzium l. l. p. 46. non reperimus, reperies autem in alphabeto numorum Celtibericorum (apud F. de Saulcy, Numismat. Celtibér., Par. 1836. tab. 4, 5, 6). In reliquis elementis

15) Exstatque etiamnum; sed quum ultimum (m. Junio anni 1845) Palaeopanagiam adii, instauratum inveni sacellum a rusticis lapidemque calce oblitum, ut legi amplius non posset.

nullum est insolentius, praeter quadratum ⊞ et quadratum ☐ pro Θ et O, quarum litterarum species quadratas olim negabas esse perantiquas (C. J. I. p. 69, assentiente Francio l. l. p. 85 extr.), neque cum aliis rotundatis elementis, quale in nostro lapide l. 6 est ⦶, in eodem monumento componi posse existimabas. Sed usus et experientia nos docuit alia. Tu ipse, Clarissime Boeckhi, progressu temporis et operis in Tuo Thesauro satis multa exempla suppeditasti, quae genuinas esse probarent et vere antiquas eas formas litterarum, quas dum Fourmontum falsi crimine convincere studebas, Alexandri Magni aetate recentiores esse pronuntiabas. Nam ⊠ et ☐ quadrata, cum Σ conjuncta, habentur in titulo Corcyraeo C. J. n. 1877:

ϷΟΟΣΠΥ⊠ΑΙΟΣ,

et elementum ◊ in apice collocatum occurrit in pluribus aliis titulis antiquissimis (in Boeotico, C. J. n. 1599; in insula Cephalenia, ib. n. 1928; in vicinia Anactorii, vol. II. in Add. n. 1794. g.); utraque autem forma, et ☐ et ◊, adeoque triangularis species △ (quam in Amyclaeis lapidibus indicem falsi haberi volueras) reperitur cum O rotundo et cum quadratis formis ⊡ et ◊ pro Θ in plumbo Attico, (C. J. n. 539. Franz. l. l. n. 63.) quod ipse quidem collocas inter Ol. 105 et 110, sed quod propter miras orthographiae fluctuationes certe Euclide archonte antiquius est et ad ea tempora pertinet quibus vetus litteratura Attica et alphabetum Ionicum de dominatione certabant. Piget plura exempla congerere; nam de genuina antiquitate formarum ⊞, ⊠, ⊡ et ◊ pro Θ, vel ☐, ◊ et △ (▽) pro O jam amplius dubitari nequit.

Quod ad reliquorum hujus lapidis elementorum formas attinet, l. 4 in ⦶ΙΡΟϟ potest fuisse ⊡ quadratum,

quale est in aere Eleo cum O conjunctum (C. J. n. 11); nam prioris litterae loco in lapide est lacuna quadrata. Sed certum est l. 6 in ἀποφθίμενος haberi Φ rotundatum. — Adspirationis nota omissa est l. 2 in ὁ et l. 4 bis in ὡς, qua omissione nihil est frequentius in titulis Aeolicis et Doricis antiquissimis, ut jam exemplis opus non sit.

Lectio tituli nihil habet impediti, praeter mutilatum l. 1 nomen defuncti, de quo in lapide tantum litterae O Λ . . E . D A || supersunt (nam I, casune an consilio, bis scriptum esse certissimum est). In quo supplendo diu me fateor dubium haesisse, donec apud Pausaniam 10, 7, 3 incidi in nomen Thebani adolescentis Ὀλαΐδας, ut recte e codd. rescripserunt novissimi editores pro vulgato ὁ Λαΐδας quod ibi vel propter articulum incommode positum ferri nequit[16]). Idem nomen recte fortasse restituerunt Schubertus et Walzius apud Paus. 6, 15, 2; restituendum commendant ibid. 8, 5, 5 pro Ὁλαίας (Ὀλαίας) et 3, 15, 6 pro Λαίαν. In quo iis non assentior. Sufficit quod priore Pausaniae loco Ὀλαΐδας nomen in Boeotia usitatum fuisse probatur, formâ patronymicâ. Cujus si etymon requiras Graecum, potest ab Ὄλαιος (vel Ὀλαίας) pro Ἔλαιος (Ἐλαίας) esse formatum: quemadmodum *oliva* apud Latinos est pro ἐλαία, *oleum* pro ἔλαιον vel apud ipsos Graecos Ὀρχομενός pro Ἐρχομενός, ὀπίσω, ὄπισθεν ab ἐπί cett. (vel apud hodiernos Ἔλυμπος pro Ὄλυμπος, ὀλπίζω pro ἐλπίζω, ὀχθρός pro ἐχθρός et plurima alia). Nihil autem frequentius est nominibus propriis ab arborum

16) Non me praeterit Keilium nostrum in indice nominum Boeoticorum (Syll. Inscr. Boeott. p. 216) apud Pausaniam l. l. pro Ὀλαΐδας emendari voluisse Ἰολαΐδας, coll. Aelian. V. H. 12, 3 et Plut. Apophth. Epamin. 24; sed ejus scripturae in ll. msptis nec vola nec vestigium est.

vel plantarum appellatione desumtis: velut *Δρύας* (*Δρυάδης*), *Δρῦος*, *Δρύων*, *Δρύμων* a *δρῦς*, *Βότρυς*, *Βοτρύας* et *Βότριχος* a *βότρυς*, *Ἄνθος*, *Ἄνθας*, *Ἄνθης*, *Ἀνθεύς*, *Ἀνθέας*, *Ἀνθίας* ab *ἄνθος* cett. Sed utut hoc sese habeat, *Ὀλαΐδας* est dijambus; neque igitur nomen versui heroico aptum erat, nisi contractis mediis syllabis, ut in *Ἀγελᾴδας*, *Νικολᾴδας*, vel si metrum hoc non pateretur, ita ut paenultima prosodiae gratia produceretur, tanquam si nomen formatum esset non ab *Ὄλαιος* sed ab *Ὀλαιεύς* sive *Ὀλαεύς*. Quod hoc loco factum videtur esse. Nam scripturae *στοιχηδόν* dispositae vestigia in lapide eo ducunt ut exaratum fuisse suspicemur: OΛ[ΑϜ]Ε[Ι]ΔΑΙ, sive Ε (h. e. *ἦτα*) more Aeolico pro diphthongo *ει* positum esse concedas, sive Ι, quod perspicuitatis causa addidi, praeter numerum in fine lineae 1 appositum fuisse et oblitteratum esse conjicias. Minusculis igitur aut *Ὀλ[αϜ]ε[ί]δᾳ* aut *Ὀλ[αϜ]ήδᾳ* scribendum est.

Pentameter duabus litterulis Φ vel Ξ et Ν suis locis restitutis optime procedit:

Ὡς [φ]ίλος! ὡς πένθος θῆκε[ν] ἀποφθίμενος!

In quibus *ὡς* in exclamatione et admiratione bis positum satis notum est vel ex Homero[17]) et Theocrito[18]): quos imitatus est Virgilius[19]).

Haec hactenus. Jam temporis quo positus est hic lapis, nullum inest indicium. Nam de Olaida illo puero Thebano, cujus Pausanias l. l. meminit, cogitari non posse facile monstratur. Qui quum puer Pythiis ludis pancratium

17) Hom. Od. 24, 194: *ὡς ἀγαθαὶ φρένες ἦσαν ἀμύμονι Πηνελοπείῃ, κούρῃ Ἰκαρίου· ὡς εὖ μέμνητ' Ὀδυσῆος, ἀνδρὸς κουριδίου!*

18) Theocr. Id. 2, 82: *ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη δειλαίας!*

19) Virg. Bucol. 8, 41: ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!

vicerit Pythiade 61, quae secundum plurimos chronologos (Clinton. Fast. Hell. II. p. 207, 199. ed. Krueger., Teque ipsum ad Pind. II. 2. p. 206 sqq.) in Olymp. 109 annum tertium, secundum alios (Schoem. Antiq. jur. publ. Gr. p. 380) in Ol. 108 eundem annum incideret: luce clarius est ei saeculo, cujus sat multas habemus inscriptiones Boeoticas, hoc tam priscum scripturae genus minime convenire; quod vel si cum titt. Orchomeniis Te judice (in C. J. vol. I. p. 745. A) vix bello Peloponnesiaco recentioribus comparetur, sat multis saeculis antiquius censendum esse nemo est quin videat. Equidem dum formas elementorum ᚢ, ᐅ, ᗕ, ⊞, ᒻ, ☐, Ր, ᖇ, et ϟ considero, nihil me causae videre confiteor, quominus vel Hesiodeam antecedere aetatem existimetur.

Superesset ut rationem redderem, quo pacto in restituendo nomine Ὀλαϝείδᾳ digamma inserendum censuerim: quod interdum, non solum in antiquioribus titulis, velut in epigrammate Corcyraeo (in Gerhardi Eph. Archaeol. 1846. n. 48.), sed etiam in recentioribus lapidibus Boeoticis (C. J. n. 1583, in ΡΑΨΑϜΥΔΟΣ, ΚΙΘΑΡΑϜΥΔΟΣ) ad hiatum indicandum positum est, ne imperitiores legendi vocales conjunctim pronuntiando in unam syllabam contraherent. Sed ea disputatio longius desiderat spatium; jamque huic scriptioni, nimis fortasse tumultuariae, finis imponendus est. Si in hac epistola nonnunquam Tibi contradixi, id Te facili animo laturum confido; si in duobus quae Tibi proposui epigrammatis aliquid inest novi et quod rem epigraphicam juvare possit, id Tibi quoque acceptum erit. Quae fortasse errata sunt, ignoscas velim. Vale, Vir Praestantissime, meque, quod dierum superest, amicitia Tua ne indignum habeto.

Dab. Halis, III. Cal. Octobr. CIƆIƆCCCL.

HALIS TYPIS GEBAUERIIS.

